Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Dominicvs Loricatvs C. 14. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

non gratis. Nam remiſit Pont. ſanitatem, ingens ægro pretium. *Ex D. Gregorii Dialogis.*

Adverte, quæſo, ſi mundum diligis, ſi in illo converſaris, in quãto diſcrimine vivas. quocunque te vertes, concupiſcẽtiæ ignem accenſum invenies: quẽ ſi copulari permiſeris tuo, uret te, & in favillam rediget. Fuge igitur ad montana cum Loth, & ſalvaberis. S. Laur. Iuſt. de Cont. mund. c. 19.

S. DOMINICVS LORICATVS C.

14. Octobris.

AVdite, qui aras, calices, infulas vel venditis, vel emitis. DOMINICVS à primis annis aris & ipſe admotus, tandem ſacerdotio initiatus eſt. Verùm quòd eos honores neſcio quo dono (pellis credo caprina erat) parens filio mercatus eſſet, detestatus hic impia munera, adeoque jam ſe etiam, longè fugere ſtatuit partas malè dignitates, & paternum facinus in ſe vindicare. Ad hoc commodiſſima viſa eſt ſolitudo, & in hac virorum ſocietas, qui auſteram cumprimis rationem vivendi ſequebantur. Nempe his unum totâ ferè vitâ jejunium, deliciæ die Solis Ioviſque pultes, cibus per reliquam hebdomadem ſolus panis erat. Nam de potu quid dicam ? aquam lacrymis miſcebant. Iam loqui ſemel in ſeptimanâ, dabatur, cædere verò flagris ſæpiùs in die ſe, ſæpiùs cædi ab aliis mos receptus jam fuerat. Hæc omnibus tunc communia, at DOMINICO noſtro pecularia illa ajunt : nudam carnem loricâ ferreâ onerare, itaque in vigiliis ſanctis noctes dies perſtare ; tum bis quotidie Regii Vatis carmina cantando decurrere, manu interim utrâque virgis armatâ menſuram imperante, Durum, ais, eſt nimis ſic vivere. At ſic vivendo

virgo vixit DOMINICVS, & ut tales vos vivatis, Sodales Parthenij, teſtamento arma vobis ſua legavit. *Ex Lippeloo.*

Optimè pænitet, qui dum carnem verberibus mactat, lucrum, quod delectatione carnis amiſerat, afflictionibus recompenſat, & ſalubrem ibi nunc amaritudinem ingerit, cujus olim noxiâ delectatione peccavit. S. P. Dam. l. 5. epiſt. 8.

S. HEDWIGIS DVCISSA. 15. Octobris.

IN regium te gynæceum introducimus, tamen terreare, ſi ad limina pauperes excubent: HEDWIGIS intus habitat, quæ ex illuſtri Andecenſium Comitum & Tyrolenſium ſtirpe Henrico Polonorum Duci nupta, primos annos liberis procreandis, reliquum deinde vitæ tempus, non invito conjuge, caſtitati dedit, maluitque à pauperum jam turbâ, quàm Regum mater dici. Ex illis tredecim quotdiebus menſæ adhibuit, flexo poplite in iis Chriſtum ac duodenos Apoſtolos adorans. Ajunt multos ex iis, impoſitâ capiti VIRGINIS MAGNÆ icunculâ, valetudini reſtitutos ab HEDWIGE. Certè inventam VIRGINIS effigiem multis ab obitu annis inter digitos tres primores eoſque integros aſſeverant, magno ſive HEDWIGIS in VIRGINEM, ſive VIRGINIS in HEDWIGEM voluntatis teſtimonio. Porrò tam dura ſibi, quàm benigna aliis, pedes ferè nudos etiam hyberno tempore circumferebat, indormiebat aſſeribus, corpuſculum & ipſa verberabat, &, quod pauci volunt, verberari ab aliis volebat. Sacerdotibus, quotquot denique faciebant, quotidiè omnibus aſſiſtebat, nullas alias voluptates umquam ſectata, quàm quæ preces inter animum demulcebant